Quelle: https://manuscripta.at/?ID=388
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

et cantici. Iam assunt labia. et aures cuiusdam interioris. Voce cantamus ut
nos excitemus. corde cantamus ut illi placeamus. Aggei et Zacharie psal
mus dicitur. Aggeus et Zacharias prophete fuerunt. Erant enim prophete isti iam in
captiuitate illius ierusalem. que in terra portauit umbram cuiusdam celestis. In il
lius quoque captiuitatis ciuitate cum essent in babylonia prophetauerunt. Prophete
isti reparationem ierusalem prophetauerunt. ciuitatem nouam ex reparatione ueteris.
liberato populo a captiuitate. Agnoscimus et istam captiuitatem. si uere agnos
cimus nostram peregrinationem. In hoc enim mundo. in his tribulationibus seculi. in
hac turba multiplici scandalorum. quodammodo in captiuitate gemimus. Sed e
rigemur. Prenuntiatur ciuitas nostra noua futura equalis. Nam et post istorum propheta
tionem et uisibiliter contigit ut totum expliceretur quod ad persoluendam imaginem
pertinebat. Reparata est ierusalem post septuaginta annos captiuitatis. Sic ihe
remias propheta septuaginta annis septenario illo numero. omnem uolubilitatem
huius temporis figurat. Septenario enim numero uoluuntur dies hii sicut nostis.
id est abeunt. id est redeunt. Post septuaginta ergo annos cum prophetat ihere
mias reparari ciuitatem ierusalem. et factum est ut ibi significaretur imago futu
rorum. significatum est nobis post omnem istam uolubilitatem temporis que septenario
numero uoluitur. futuram illam ciuitatem nostram iam in eternitate in uno die. In illa
quippe habitatione tempus non uoluitur. quia habitatoribus non labitur. Hanc
cum uiderent in spiritu prophete uidebant illam. dicebant de ista. que in illam ducerent.
Et illa omnia que fiebant secundum tempus. secundum corporales motiones. secundum actus
hominum. signa erant et prenuntiationes futurorum. Audiamus iam cantari
ciuitatem illam. et erigamur ad illam. Multum enim nobis eam commendat spiritus dei.
infundens nobis amorem illius ut ei suspiremus. et in peregrinatione ingemisca
mus. et ad illam uenire desideremus. Amemus illam. et ipsum amare ambulare est.
Ecce amemus illam ex ore sancto. ex ore prophetico. et dei spiritu
DICENTIS; Incipit Tractatus.

COLLAUDA hierusalem dominum. In captiuitate adhuc
constituti. uident illos greges. immo unum gregem omni
um ciuium undique collectorum ad illam ciuitatem. uident
gaudium masse. post trituras. post uentilationes. iam misse
in horreum. nichil timentes. nichil laboris et molestie pacientes. et adhuc
hic positi. et in ipsa contritione considerantes. premittunt gaudium spei. et an
helant in illam. qui coniungentes corda sua angelis dei. et futuro illi populo. se
cum in gaudio permansuro. Collauda hierusalem dominum. Quod enim factura es o